



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 215. Quid addendum sit circa tempus, quo desinit obligatio orandi pro una die.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Horas unius diei, etiam sufficit hic, *Gob.* Non posse autem per unam talem recitationem satisfieri obligationi pro hac & sequente die, certum est, quia *Alex. VII.* damnavit hanc 35. prop., *Vnico Officio* potest quis satisfacere duplii præcepto, pro die presente & crastino.

§. V. In Quadragesima possunt Vesperæ sine ullo peccato privatim dici post prandium, quia rubrica illa solum chorum obligat, *Sanch. Gavant. Gob.* n. 688. *Burgh. cent. 3. cas. 83. Stoz* n. 412. *Lohn.* p. 4. §. 10. n. 4. Imò congruentius est nunc ita fieri: aliud erat primitus, quando vesperi priùs cœnabatur, tum enim recitabantur ante cœnam, ne nimis diu differrentur, uti ex *Bellarum.* notat *Tamb.* in Decal. l. 4. c. 5. §. 4. n. 4.

Q. 214. An Matutinum orari debeat ante celebrationem Missæ. R. De hoc dicetur l. 6. quando de Sacrificio.

Q. 215. Quid addendum sit circa tempus, quo 1318 definit obligatio orandi pro una die. R. Seqq.

§. I. Obligatio orandi pro una die definit horâ 12. noctis, hinc quod antè non orasti, poteris omittere: consequenter audiri non debet *Leander*, dicens satisfieri præcepto horarum, si quis paulò ante medium noctem incipiat Matutinum, & sine intermissione recitando finiat horâ primâ, hanc enim sententiam latè confutant *Carden.* in l. crisi d. 35. à n. 21, & *Gob.* in Exp. T. 5. à n. 684., est enim contra communem sensum & usum, nam pari jure possenti die Jovis ante 12. noctis incipere comedere carnes, continuando cœnam usque ad 1. diei Veneris, quod nemo dicet: imò sequeretur per unicam illam recitationem satisfieri posse obligationi duorum diuinorum, quod tamen damnatum est, secundum dicta §. 1315.

Tt 2

§. II.

1319 §. II. In orandis Horis , uti in aliis præceptis Ecclesiasticis , quæ horam requirunt , attendi debet hora , quâ præcipitur , non præter propter sed ad momentum , uti explicatum est l. I. à n. 582. Quandonam autem censeatur esse momentum mediæ noctis , & quid tenendum sit , si sint plura aut etiam aliquo loco nullum sit horologium , videri possunt dicta hinc à n. 485.

1320 Q. 216. *Quid sit addendum circa locum & situm in orando. R. Hæc duo,*

§. I. Non peccat , qui Horas submissè orat loco etiam sordidissimo , *Suar. de Orat.* l. 3. c. 7. n. 9. , *Stoz* l. 1. p. 3. n. 414. Etiam dum ventrem exonerat , *Angles* , *Trull Caram. Sanch. in Conf.* l. 7. c. 2. d. 44. *Sporer in Th. Sacram. de Horis.* n. 148. *Tamb. in Dec.* l. 2. c. 5. §. 6. n. 2. Ratio est , quia potest ibi mente orari , ergo & voce ; nec de se est irreverentia , Deus enim ubique est , ubique à se ipso & Angelis laudatur , nec plus sordes quam munditiem curat : Denique oratio dirigitur ad Deum sine ullo speciali respectu ad locum . Consilii tamen est talibus locis non orare vocaliter ; imò si quis temerè talem locum vel tempus deligeret , secundūm *Tamb.* & *Stoz* peccaret venialiter : quod etiam videtur velle *Alvarez de vita relig. Instit.* c. 5. dicens , licet vocalis oratio , si necessitas insitet , in quocunque loco possit fundi , quia tunc necessitas locum honestat , tamen si commodè fieri possit , locus decens eligendus est , ubi non peragantur abjecta ministeria , nam oratio vocalis , corporalis est sensuque perceptibilis , quā Deum exterius alloquimur , & cor nostrum quasi hostiam maculamus , unde requirit locum honestum decentemque , sicut alia sacra corporalia . Et ita etiam quamvis *S. Tb.* apud *Suar.* suprà pro oratione mentali nullum omnino locum excipiat , tamen